Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36555
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift



5 + At petrus conpassus est eis et iam ipse lacrimas fudit et in caelum respiciens ait. Tibi d(omi)ne qui caelum terramq(ue) fecisti et omnia quae in eis sunt. precem supplicem fundimus. ut confugientes ad te in tribulatione sua soleris; propter affectum enim quem habent erga te diligunt me quia veritatem tuam adnunciavi eis; Propter quod misericordiae tuae dextera custodi eos; non enim zacheus neque alius quisquam hominum custos esse eis idoneus potest. haec autem et his similia cum dixisset petrus manibus superpositis zacheo oravit ut inculpabiliter episcopatus sui servaret officium. Post haec duodecim presbiteros ordinavit. et diaconos quattuor. et ait. Zacheum hunc vobis ordinavi ep(iscopu)m sciens eum amorem d(e)i habere. et eruditum esse in scripturis. Quem quasi xp(ist)i locum servantem honorare debetis oboedientes ei ad salutem vestram. et scientes quod sive honor sive iniuria quae ei defertur. ad xp(istu)m redundat. et a xp(ist)o ad d(eu)m. Audite ergo eum attentius et ab ipso suscipite doctrinam fidei. Monita autem vitae a presbiteris. a diaconis vero ordinem disciplinae; Viduarum religiosam curam gerite. pupillos enixius iuvate. pauperibus misericordiam facite. iuvenes pudicitiam docete. et ut breviter totum dicam. alterutrum vos in quibus res poposcerit sustentate; D(eu)m colite qui creavit caelum et terram. xp(ist)o credite. invicem diligite. misericordes estote ad omnes; Non verbo solum sed et opere et rebus implete caritatem; Et cum haec atque his similia praecepisset pronunciavit ad populum dicens. Quoniam tres menses statui facere vobiscum. si quis vestrum desiderat baptizari. ut exuatur prioribus malis. de reliquo pro bonis actibus heres bonorum caelestium ex gestis propriis fiat. Accedat ergo qui vult ad zacheum et ipsi det nomen suum atque ab eo misteria audiat regni caelorum. ieiuniis frequentibus operam inpendat. ac semet ipsum in omnibus probet. ut tribus his mensibus consummatis in die festo possit baptizari. baptizabitur autem unusquisque vestrum in aquis perennibus. nomine trinae beatitudinis invocato super se. perunctus primo oleo per orationem sanctificato ut ita demum per haec consecratus possit percipere de sanctis. Et cum multa dixisset de ratione baptismi dimissis turbis ad solitam se recepit mansionem. ibique adstantibus sibi duodecim id est. zacheo et sofoniae. ioseppo. et michiae. eleazoro et fineo lazaro et elisaeo. medemente et nicodemo. nicolae et aquilae. hoc modo prolocutus est. Consideremus fratres quod iustum est. debemus enim auxilium aliquod